Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

eius conabatur evertere. Et cum se iam putas-
set perforasse eam: voce magna clamavit et
dixit. Festinate amici mei festinate celeriter.
atque introeuntes vitam eius eripite. Ait con-
tra eum beatus abraham. Omnes gentes cir-
cuiderunt me. et in nomine domini vindicabor
in eis. At ille protinus cum hanc vocem au-
disset. evanuit. Cella autem beati viri integra
atque illesa permansit. Item post paucos dies
cum media nocte psalleret: mattula eius
super quam consistebat. cepit vehementer flamma
comburere. Tunc ille intrepidus ignem con-
culcans dicebat. Super aspidem et basiliscum
ambulabo et conculcabo leonem et draconem.
et omnem virtutem inimici in nomine domini
mei ihesu christi: qui mihi prebet auxilium. Diffugi-
ens itaque satanas. voce magna proclamavit.
Ego te inquiens mala morte devincam. in-
veniamque artes quibus te in permicionem (al. parmane) dedu-
cam. Cumque plurima verba insonuisset.
nullum ei sermonem sanctus ille respondit: donec
cibum solitum percepisset. Postquam vero de mensa
surrexit. cum omni constancia ait ad eum
Canis immunde et miserande atque infirmis-
sime et mendacissime: si nosti quod beati sunt ser-
vi dei: cur eis molestus es? Nam beati sunt
revera. omnes qui ex toto corde diligunt deum.
Respondens autem diabolus ait. Idcirco illis
infestus sum. ut ab omni opere bono destituti
meis facinoribus socientur. Cui vir beatus ita
respondit. Nunquam tibi bene sit maledicte. ut quemquam
timencium deum superare vel impedire prevaleas. nisi
forte eos qui tibi similes sunt. et adeo propria volun-
tate discedunt. illos vincis ac fallis. quoniam
deus non est in eis: ab his autem qui diligunt
deum. tanquam fumus a vento ita facile exolescis
et deficis. Una siquidem eorum oracio. sic te persequitur
ac deturbat: quemadmodum pulvis insectatur ac
spargitur a vento. Vivit autem deus meus qui
est benedictus in secula qui est gloria mea:

quia non te pertimescam. eciam si omni tempore
hic constiteris. Sic autem te pro nichilo sperno:
veluti si unus catulus ab aliquo contritus
contempnatur. Hec eo dicente. confestim ut sole-
bat evanuit. Rursum post dies quinque cum
psalmodiam suam noctis tempore consumasset:
aliud fortasse argumentum ab inimico con-
fingitur. Ecce enim quasi turba plurima cerne-
tur advenisse. et veluti trahentes in invicem
cum clamore mutuo cohortantur. ut homo
dei periret in foveam. Quos cum conspiciens
vir beatus: circumdederunt me inquit: sicut
apes favum. et exarserunt sicut ignis in spi-
nis: et in nomine domini vindicabor in eis. Tunc
satanas exclamavit et ait. Heu heu heu
me: quid tibi de cetero faciam nescio. Ecce enim
in omnibus me victum aspicio ac superatum. et
vires meas universas aspicio esse despectas.
et me undique conculcatum. Veruntamen ne sic
quidem a te aliquando discedam: donec superans
te humilem: meque subiectum faciam. Vir autem
dei ait ad eum. Anathema tibi. et omni vir-
tuti tue pollutissime demon: gloria autem
et adoracio domino soli et sancto ac sapienti deo. qui
nobis dilectoribus suis te tradidit conculcan-
dum: et idcirco versucias tuas subsannamus
atque contempnimus. Cognosce itaque infirmissi-
me atque infelicissime: quia nos neque te ne-
que tuas pertimescimus fantasias. Per multum
autem tempus diversis argumentis ac machi-
nacionibus contra virum fortissimum dimicans:
non quivit cogitacionibus eius solidissimis.
saltem vaporem tercians immittere: cum ma-
gis preliando alacritatem caritatemque in deum
maximam suscitabat. Diligens namque ex
toto corde et animo deum. et conversacionem suam
secundum voluntatem eius instituens. affluenter
graciam divinam promeruit. et propterea non vale-
bat diabolus ledere eum. Perseveranter namque
pulsaverat. ut ei thesaurus divine gracie pande-